

**De rheumatismo articulorum acuto s. febrili : dissertatio inauguralis medica  
... / publice defendet auctor Joannes Conradus Ziegler.**

**Contributors**

Ziegler, Jan Konrad.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Rosenthal, [1862]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cdu6pra2>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>






DE  
RHEUMATISMO ARTICULORUM ACUTO  
S. FÉBRILI.

DISSE

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILELMA  
AD  
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE CAPESSENDOS  
DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCLXII.  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
JOANNES CONRADUS ZIEGLER,  
POSANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. RIMANN, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.  
O. WILLMANN, PHIL. DR.  
E. LIEBERT, MED. ET CHIR. DD.



BEROLINI  
TYPIS EXPRESSERUNT ROSENTHAL EIUSQUE SOC.

DE  
CENSUS IN MUNICIPALIA ROMANIS

2. FEBRIL

RESUME

LEGATI & CONSULS

PROVINCIAS ET TERRITORIA

COLONIAS ET CIVICAS

INSTITUTIONES MILITARES

ARMED FORCES

POPULUS CAPITULATI ET COLONI

POPULATION

COLONIAS ET TERRITORIA

POPULATION

COLONIAS ET TERRITORIA

POPULATION

COLONIAS ET TERRITORIA

COLONIAS ET TERRITORIA

POPULATION

COLONIAS ET TERRITORIA

POPULATION

COLONIAS ET TERRITORIA

**P A R E N T I B U S**

**SACRUM.**

PATRITIBUS

SACRUM



## L. B.

Si, quum de particula artis medicae mihi scriben-  
dum esset, Rheumarthritidem, morbum cuius natura  
nobis adhuc tam obscura est, illustrare mihi proposui,  
non id egi, ut quaestionem hanc difficillimam omnibus  
suis numeris absolverem; sed persuasum habens rei ob-  
scurae disceptatione difficultates etsi enodari nequeant,  
tamen distinctius in conspectum posse vocari, in id  
potius animum attendi ut certa ab obscuris, fluctuantia  
ab exploratis sejungerem. Ceterum non solum hujus  
potissimum morbi observandi saepius occasio mihi est  
oblata, qua re haud ita pauca ejus exempla eaque  
interdum selectiora et egregia in promptu habere mihi  
videor, sed etiam multa et praeclarissima de hac re  
scholis praceptoris optimi Ill. Frerichs didici, quae  
memoria retenta vel litteris mandata ad hanc disser-  
tationem conscribendam adhibui.

Complures inveniuntur morbi, qui oriuntur ex sanguinis quadam decompositione chronica, modo tardius modo citius procedente et partim a singulis certis organis profiscuntur; partim ignotae sunt originis, ut qui coïncidentia complurium vel laesiorum vel perturbationum organismi nascantur, quae malorum sunt in causa multiplicium et totius organismi speciem propriam eamque abnormem efficiunt. Ante omnia autem ad has constitutionis anomalias in sanguinis compositione perturbanda positas pertinent quum Septicaemia, Leukamia aliique morbi pro sua quiske natura certis nominibus nuncupati, tum Chlorosis et Scorbatus, neque jam in dubio versatur etiam arthritidis symptomata, quibus in unum adspectum subjectis totius organismi miserrimam conditionem apparere medicum fugere non potest, existere, ubi sanguinis compositio chemica magis magisque recedit a statu normali; aliter res se habet in iis morbis, qui quamvis varii et multiplices „rheumatismi“ nomine comprehendi solent. Longum per tempus rheumatismus morbis „perfrictione natis“, in quod morborum genus jamdudum ablegari

solent multa obscura et haud satis explorata, annumerabatur; quam sententiam hodieque, qui probent, existunt. Sed si non certum atque exploratum, vero certe simile est, eum in eorum morborum numerum quas supra designavi esse referendum, id quod in ae-  
tiologia Rheumatismi articulorum acuti tractanda plu-  
ribus probabitur argumentis. Rheumatismi definitio  
accurata et quae toti rei satisfaciat haud facile invenias; cuius rei testimonium in ipso nomine (ducto a graeco  $\rho\epsilon\bar{\nu}\mu\alpha$  i. e. fluxio, Fluss) agnoscere potes, quod qua est significatione fluctuanti usque ad nostra tem-  
pora manavit; augetur definiendi difficultas eo, quod non solum multo major est varietas symptomatum quae in hanc morborum familiam cadunt, quam in constitutionis perturbationibus supra propositis, sed etiam ad formas chronicas (Rheumatismus muscularum et articulorum chronicus) accedunt acutae, scilicet Rheumatismus muscularum et articulorum acutus s. Rheumarthritis.

modum articulatum esse, hanc se mundo velut tendere  
medicis in supponit invenimus utrum concreta  
esse articulatae septem sint, non in factis, tamen  
tamen invenimus invenimus in quin etiam aliae sunt  
et in hunc bi medicorum quo exigitur ex qua supp  
ole abducuntur ita ex medicis tenuimur, si nolitis  
ceteris invenimus.

## I. **Anatomia pathologica.**

Quas anatomicas efficit mutationes Rheumatismus  
articulorum acutus, eae haud ita expressae sunt; plu  
ribus enim casibus in loco affectionis ipso aliae mu  
tationes non inveniuntur, quam quae inflammatione  
vasculosa praecipue et exsudativa ortae sunt; raro  
tantum inflammatio articulorum justa, purulenta na  
scitur, quae utraque si earum respicis progressum atque  
producta ab alia inflammatione, exempli causa trau  
matica distingui non possunt. A. Förster\*) statum  
primum his verbis dilucide describit: „Im ersten Falle  
betheiligen sich vorzugsweise die Synovialhaut und  
die Weichtheile des Gelenks, letztere sind durch se  
rösес Exsudat geschwellt, die erstere ist mehr oder  
weniger stark injicirt; die Injection beginnt mit Ar  
borisationen und endet mit allgemeiner Capillarinjection,  
wodurch die Synovialhaut gleichmässig hochroth er  
scheint; die Oberfläche der Gelenkknorpel ist glatt  
und unverändert; die Injection erstreckt sich in Form  
feiner rother paralleler Striche bis einige Linien über

---

\*) Dr. A. Förster, Lehrbuch der patholog. Anatomie. 6te Aufl.  
Jena 1862. Pag. 558.

den Rand des Knorpels. In die Gelenkhöhle wird seröses Exsudat ergossen in verschiedener Menge; die Synovialhaut wird durch seröses Exsudat geschwellt.“

In inflammatione purulenta Synoviae pus admixtum, in capsulae superficie interna pus, in ligamentis exsudatum serosum-fibrinosum sive puriforme depositum est; cartilagines sub membranam synovialem super eas magis magisque extensam, tabescunt, ossa cariosa fiunt; hoc stadio raro jam sanatio plena contingit; nonnunquam contra articuli totius suppuratio et Phlebitis accedunt. Attamen haec rararum exceptionum loco habenda sunt. Anatomia pathologica affectionum cordis complicantium ne paullulum quidem differt ab ea morborum idiopathicorum illis respondentium.

## II. Symptomata.

a. Symptomata generalia morbi fere omnia sub generali nomine febris colligi possunt, a qua Rheumatismus articulorum febrilis pro vigore morbi modo lentius, modo violentius incipere solet, idque saepissime frigore (Frostanfall), quod per longius aut brevius temporis spatium indurat. Postea temperatura ascendet nonnunquam usque ad 40° C., plerumque autem infra continetur, remittitur, exacerbatur, tantopere, ut febris nec continuo, nec ex regula progrediatur. Pulsuum arteriarum numerus fere semper usque ad 100—120 augetur, modo plenus, modo intentus, modo mollis. Semper fere accrescit sitis, decrescit ciborum appetitus, accedunt symptomata gastrica alia. Tum cutis non est sicca sed profusis sudoribus male odorantibus tecta; inde nascuntur saepius exanthemata, plerumque quidem sudamina miliariaeque formae: vesiculae quae aut serum aut saniem continent. Urinae quantitas fere semper diminuitur, non raro usque ad 300—150 C. C. inter 24 horarum spatium; variat inter colorem fulvum et rubrum, reagit plerumque acide, quanquam copia ipsa acidí in ea contenti adeo non

aucta est ut potius sit diminuta. Summi autem momenti est et digna quae accuratius observetur conditio sanguinis et materiae immutationis (Stoffwandel), quae quoad ex observationibus hucusque factis constat, abnormis est; sed praeterquam phaenomena quaedam magis ostendentia quamvis satis indefinita, exempli causa sanguinis fibrini auctio, nil nisi hypotheses existant, de quibus infra, ubi de aetiologya sermo incepit, exponendum est. Est autem nulla earum tam probabilis, ut eam ducem secutus medicus aegrotum tractare possit.

b. Symptomata localia ab initio dolores sunt, qui usque adeo augeri possunt, ut omnis membrorum motus prohibeatur; aegroti eam ob causam prorsus sunt rigidi seque eo magis ope destitutos sentiunt, quo omni motu velut pavimento etsi leniter concusso non sine dolore tanguntur; noctu dolores augmentur potius quam diminuuntur, quorum causa est articulorum inflammatio quae saepe celeriter et subito eodem tempore vel successive unum vel plures capit articulos. Neque solum extremitatum sed etiam columnae vertebralis, ossis sacri et ilei, costarum, claviculae et sterni, mandibulae articulationes corripiuntur. Ordo, quo articuli dolore capiuntur valde varius. Plerumque extremitates inferiores primae afficiuntur et ab his extenditur morbus in superiores; memoratu dignum est, articulos corporis magnos saepius capi quam minores, pedis saepius quam manus et digitorum. Mox articuli dolentes inflammati intumescent; qui tumor saepe intra paucas horas ma-

gnopere accrescit et intenditur. Integumenta saepe normalia, nonnunquam subrubescent. Rubor et tumor facilius agnoscuntur in articulis parvis et superficialibus quam in iis, qui grassis muscularum straturis tecti sunt, ut in brachii articulatione. Quae omnia aut in uno articulo remanent aut affectio localis transsilit ab altero in alterum, quum tumor mirum quam celeriter evanescit, alio in loco mox conspicua futura.

### III. Complicationes.

Acutus articulorum Rheumatismus saepe cum aliis morbis complicatur; raro quidem cum Pleurite, quae fibrinosum exsudatum exiguum efficit in corpore antea sano, aut amplum puriforme ubi ante hac male sanum erat. Rarius est Pneumonia et Meningitis. Phlebitis, quae et ipsa rara est, non existit nisi suppuratione ossium facta, ubi venae arrosae inflammationi opportunitatem praebent. Creberrimae Rheumatismi complicationes cordis morbi sunt, dico endocarditidem, myocarditidem, pericarditidem, quae plerumque modicum exsudatum fibrinosum ponit. Ex endocarditide nasci

solent valvularum vitia, quibus non ortis tum demum mortis causa fit, quum aut exsudati particulae sanguine abluuntur aut sanguis inficitur; quod tamen interdum fit, ita ut omnia pyaemiae signa, status typhoïdeus, icterus, alia conspiciuntur. Plerumque autem periculum non ex infectione nascitur, sed ex valvularum vitiis, quorum magna pars ex regula a Rheumatismo derivanda est. Myocarditis plerumque arctis finibus circumscripta est, nonnullae singulae partes musculaturae in telam conjunctivam immutantur, dilatantur et efficiunt interdum Aneurysma cordis; rarius nascitur sanies, et si abscessus aperitur, rumpitur cor aut si sanguis abripit saniem omnia talis infectionis signa fiunt conspicua. Quae numerorum ratio inter Rheumatismum et eas quas dixi cordis affectiones intercedat, definire conati sunt; qua in re quamquam certam aliquam atque numeris comprehensam rationem nondum invenerunt, eo tamen pervenerunt, ut tres fere partes cordis vitiorum certe a Rheumatismo derivandum esse intelligerent.

#### **IV. Morbi decursus et exitus,**

sunt diversissimi et in singulo quoque casu haud facile definiri possunt; rheumatismus per 2—4 hebdomadum spatium durare potest, potest etiam eundem mensium numerum implere. „Als mittlere Dauer dieser Periode der Zunahme und Akme finden wir nach unseren Beobachtungen die Zeit von 15 Tagen, also etwas über 2 Wochen, nach welchen dann gewöhnlich eine merkliche Besserung eintritt, freilich noch auch mit häufigen Exacerbationen. Neben diesem mittleren Verhältnisse bestehen aber grosse Schwankungen und es ist um so wichtiger, dieselben zu erkennen, als man sich sonst sehr leicht grossen Illusionen und einem nicht in der Wirklichkeit begründeten therapeutischen Optimismus hingiebt.“\*)

Finitur primum: Sanatione, qui exitus consuetus est, sanatione completa aut incompleta pro eo quod valvularum vitia aut existunt aut non existunt. Alterum exitus genus est suppuratio et articulorum affectio chronica. Tertium est mors, cuius causae partim sunt

---

\*) Herrmann Lebert, Klinik des acuten Gelenkrheumatismus. Erlangen 1860, p. 84.

complicationes partim debilitatio e febri nata. Saepe subitanea et inexpectata morte, ita ut cerebri affectio-  
nis signa palam fiant, aegrotus cadit; tum autem quia  
autopsia nullam cerebri laesionem aut mutationem dis-  
cernere potuit sanguinis intoxicatione aegrotum mor-  
tuum esse patet. Aegroti de capitis doloribus quere-  
bantur et deliriis soporeque ortis comatosi aut subito  
aut post aliquot dies obierunt; accidit autem ut hic  
status praeteriret.

---

## V. Diagnosis

ea de causa simplex est, quia articulorum Rheumatis-  
mus non confundi potest, nisi cum Arthrite et Ar-  
thromeningitide traumatica, quae tamen causa et sede  
certa et fixa satis est definita. De aliарum quarundam  
affectionum differentia haec Leberti verba affero:  
„Vom Muskelrheumatismus und von Neuralgien unter-  
scheidet sich Rheumarthritis durch die bestimmte Lo-  
calisation auf eine grössere Zahl von Gelenken, wäh-  
rend die Gliedmassen in ihrer Continuität gewöhnlich

---

\*) Eodem loco pag. 114.

frei von Schmerzen sind, oder in viel geringerer Ausdehnung als die Gelenke. Im Anfang der syphilitischen allgemeinen Infection kommen Gelenkschmerzen nicht ganz selten vor. Sie sind aber nicht bloss fieberlos, sondern sie betreffen eigentlich mehr die fibrösen und muskulösen Ansätze der Gelenke, als deren Inneres selbst; denn durch Bewegung werden sie nicht gesteigert, auch fehlen Schwellung und Röthung.“ Similia de arthralgiis in Chlorosis decursu nonnunquam occurribus dicenda sunt.

Quod ad diagnosin differentialem Arthritidis et Rheumatismi attinet, haecce sunt differentiae primariae: Rheumatismus in omnibus vitae conditionibus, praesertim in aetate provectioni reperitur; plerumque, ubi primum occurrit, articula majora afficit et tum ab altero transit ad alterum; non semper rubor accedit et deformitas, quae saepe minimae sunt; quum arthritis plerumque occurrit apud ditiores, aetate provectione, in articulis minoribus, ad unum locum fixa, ita ut magnus inde consequatur rubor et articulorum deformitas; attamen est quum alter morbus complicetur cum altero, quo fit, ut signa specifica inter se confusa, tollantur.

## VI. Prognosis.

Quamquam nullum alium morbum acutum noscimus cum tam parva mortalitate conjunctum, tamen, ut res sese habet, prognosis dubia est, quum nunquam, etiamsi morbus longius sit progressus, certo possit exspectari non fore ut cordis vitium accedat, id enim semper insufficientiam et stenosin continuam ostii efficiens, mortis fit causa. Etiam de morbi diuturnitate cave ne quid praedicas, nam nunquam non complicationes subito adjungi possunt.

## VII. Aetiology morbi et theoriae.

Negari non potest praecipuam Rheumatismi causam occasionalem esse refrigerationem, in primis ubi corpus erat calidum atque concitatum. Scimus deinde per quosdam annos Rheumarthritidem esse epidemicam (quod dicebatur Genius epidemicus rheumaticus);

praecipue vere primo incipere, aestate autem evanescere, autumno redire et ad frigoris usque tempus remanere. Haec quoque derivare possumus a causa exteriore, temperaturae dico mutationem magnam et subitaneam. Contra vero id constat, etiamsi non antecesserit refrigeratio eundem morbus cum iisdem signis et complicationibus conjunctum existere posse; jure autem hoc sumitur, quia in plus quam dimidia exemplorum parte illud momentum aetiologicum demonstrari non potest; ab altera autem parte, si cum incredibili refrigerationum numero contuleris non nisi rarissime fit, ut refrigeratio Rheumatismum art. acutum efficiat, utrumque cum altero conjunctum evincere mihi videatur, refrigeratione effici, ut morbus in corpore ipso dudum praeparatus, erumpat, idem autem refrigeratione non accidente fieri posse; idque mihi quidem e subtilissimis Hirschii quaestionibus pathologico-topographicis\*) sequi videtur, proprietatem coeli atque regionis multum valere ad hunc morbum in corpore praeparandum: Hirschius ipse de hac re ita loquitur: „Es ist eine Hauptaufgabe späterer medicinisch-topographischer Forschungen, das Verhalten des acuten Gelenkrheumatismus nach allen Seiten hin einer sorglichen Prüfung zu unterwerfen, um die Beantwortung der Frage zu ermöglichen, ob vom Standpunkte der geographischen Pathologie die in Frage stehende Krank-

---

\*) Hirsch, Handbuch der historisch-geographischen Pathologie. Erlangen 1860. Bd. 1.

heitsform überhaupt dem sog. rheumatischen Krankheitsprocesse beigefügt werden darf; oder ob es sich hier nicht, was mir sehr wahrscheinlich ist, um eine specifische acute Infectionskrankheit handelt, welche etwa ähnliche Beziehungen zu dem Rheumatismus wie die Influenza zum Katarrhe hat.“

Etiam secundum Fullerum et alios Rheumatismus articularis saepissime invenitur in regionibus humidae atque variabilis tempestatis, rarius in regionibus tropicis, nunquam fere in terris polaribus.

Ceterum, qualicunque ratione regionum situs atque coelum valet ad mutationes in organismo efficiendas, tamen minime cum iis consentire possum, qui hunc morbum nil nisi simplicem articuli inflammationem esse putent, cui opinioni jam id repugnat, quod in hoc morbo semper fere febris vehemens, saltus morbi, complicationes conspiuntur. Neque magis eam, cuius auctor est primarius Henle comprobare possum sententiam, rheumatismum alterationem esse nervorum centrorum refrigeratione effectam, quae opinio nil est nisi hypothesis cuius auxilio non nego multiplies Rheumatismi species et symptomata uno quasi obtutu conspici posse. Neque firmioribus rationibus ceterae innituuntur hypotheses, quarum antiquissima illa est, quae per plura saecula valuit positaque est in „materia rheumatica“ quadam supponenda, effecta sudoris suppressione. Est autem haec materia (etiam „scoria“, „materia perspirabilis retenta“ nominata) res ignota atque inexplicabilis neque microscopio

neque ~~78~~ chemia usque adhuc inventa. Eadem obscuritate Schönleinii ejusque sectae sententia laborat, Rheumatismum effici mutationibus anomalibus in statu cutis electrico. Existunt etiam, qui Rheumatismum et Arthritidem varias ejusdem morbi formationes putaverint atque etiam hic diathesin uricam (harnsaure Diathese) supposuerint, „eine Blutentartung also, bei welcher das Blut widernatürlich reich an Harnsäure und harnsauren Salzen ist, deren Quelle die verbrauchten und nicht gehörig zu Harnstoff, sondern nur zu Harnsäure umgewandelten Körperbestandtheile sind.“ Est autem haec ipsa sententia, etsi non posita in quaestionibus parum accuratis, quia re vera in Rheumatismo, praeципue in febris exacerbatione urina sedimentum ostendit compositum e variis salibus aeidi urici (harnsaure Salze), tamen minime amplectens naturam morbi ipsam et proprietatem, sed solum statum quemdam abnormem materiae mutationis significans, qui etiam in aliis morbis occurrit.

~~igitur~~ Crederes omnino accurata analysi sanguinis hoc morbo aegrotantium in primis illam quaestionem enodari posse, sintne omnino illae suppositiones partium abnormium in sanguine in loco commentorum habendae; satis enim notum est chemiam et microscopiam in nonnullis constitutionis anomaliis dilucide demonstrasse, cuiusmodi anomaliae sanguinis fuerint, id quod permultum valuit ad morbi causam cognoscendam; in aliis autem morbis exempli causa in Rheumatismo art. ac. hae quaestiones tantum abest, ut perfectae atque

absolutae sint, ut, qui huic rei satisfaciat, arti medicae magnum in posterum incrementum allaturus videatur. Quae mutatio chemica in sanguine hominis Rheumarthritide affecti primae in conspectum venit, fibrini dico auctum, in omni statu inflammatorio occurrentem, ea, ni fallor neque causa neque propria morbi natura est habenda, sed consequi videtur ex inflammatione; verisimile etiam est, nil nisi hujus fibrini aucti particula coagulata esse, quae irritatione quadam illos cordis morbos efficiunt.

Etiam in alias sanguinis partes abnormes inquisitum est, quam in rem mirum esset, ni viri eruditi incidissent; atque nostris quidem temporibus Williams et Fuller medici Anglici rheumatismi causam posuerunt in acidi lactici formatione modum excedente. Tamen abundantia talis acidi lactici nondum demonstrata est, neque experimentis satis exploratum acidi lactici abundantiam tales efficere affectiones, quales in Rheumarthrite agnoscamus. Iis quidem experimentis, quae modo dixi, impri- mis Richardson incubuit sententiasque suas in appendice operis ampli atque experimentis abundantis\*) publice ju- ris fecit; quem secutus est Rauch\*\*); persuasum habe- bant hi viri experimentis multiplicibus injectionem certae quantitatis acidi lactici solutionis certum in modum concentratae, factam in cavum peritonaei aut in ve-

---

\*) The cause of the coagulation of the blood, by B. Ward Richardson. London 1858.

\*\*) Corn. Rauch, über den Einfluss der Milchsäure auf d. Endocardium. Inaug. Diss. Dorpat 1860.

nam jugularem canum sive felium, mutationes locales in endocardio praecipue valvularum efficere posse, non differentes ab endocarditide spontanea. Contra tamen Reyher\*) triginta duobus experimentis accuratissime in canibus institutis, qui sine ulla injectione plerumque inflando in venas jugulares aëre subito perierunt, dilucidissime demonstravit et Richardsonum et Rauchium in suis experimentis crebritatem morborum cordis chronicorum canum aliarumque bestiarum non satis respexisse; omissa enim injectione tamen affectionem illam apparatus valvularum cordis (Endocarditidem parenchymatosam a Rauchio nominatam) in omnibus triginta duobus experimentis invenit. Ad liquidum igitur non est deductum endocarditidis rheumaticae acidi lactici abundantiam esse causam. Tamen quaestiones de hac re non absolutae habendae sunt et etiamnunc quod Vogel dicit in ea commentatione quam scripsit de Rheumatismo\*\*) refutari non potest:

„Fullers Hypothese, dass die Quelle der Rheumarthritis in einer von schlechter Assimilation abhängigen übermässigen Bildung von Milchsäure liege, welche wegen gestörter Hautthätigkeit nicht ausgeschieden wird, hat wenigstens das Verdienst der Prüfung durch Untersuchung fähig zu sein.“ Id quod eo

---

\*) Zur Frage von der Erzeugung von Endocarditis durch Milchsäureinjection in die Peritonaealhöhle von Thieren. Von Dr. Reyher in Dorpat. (Veröffentlicht in Virchows Archiv für path. Anatomie etc. Bd. XXI. 2te Folge. 1. Band p. 85.

\*\*) In Virchows Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie. Bd. I. p. 484.

potissimum probatur, quod quaestio ad inveniendum acidum lacticum instituta inter difficillimas memoranda est, quia cum hac tenaciter conjunctae sunt aliae materiae; plurimum autem valet ad eam perspiciendam forma salium crystallina.

Minime me fugit iis, quae de Rheumathritidis aetiologya atque theoriis protuli, parum rei tantae tamque difficiili satisfieri; in quod si animum attendissem, multa quae egregie de hac re disputata sunt verbottenus hic mihi afferenda essent; imprimis praeclarissima Vogelii commentatio quae plurimum valet ad indolem naturamque morbi cognoscendam atque Leberti accuratissimas quaestiones statisticas. Sed continendum mihi esse arbitratus sum eo, ut, qui accuratius totum hunc locum perspecturus sit, eum illos libros ut adeat, invitem.

Jam si licet meam proferre sententiam, id mihi verisimillimum videtur Rheumatismum articularem nasci non posse nisi ex certa corporis sive, ut accuratius dicam, sanguinis constitutione, effecta coeli, tempestatis atque regionum quarundam natura atque proprietatibus; quae qualis sit investigare disciplinae est propositum.

## VIII. Therapia morbi.

Medici est, certam tractationis rationem, certa remedia non adhibere nisi probe cognita morborum origine atque natura. In adhibendis remediis empiricis cautissimus sit, necesse est, neque uti illis ei licet, nisi exploratum habet, atque constat inter omnes, ea in morbo ipso efficacia, ceteroquin innocentia esse; nova remedia medico advocanda non sunt, nisi rationibus e severa disciplina sumptis, innixus, sperare potest illis tantummodo aegroto opem ferri posse. Quae omnia si non accident in tractatione symptomatica se contineat necesse est, atque si hanc accurate atque religiose instituat, hoc studium solatio ei futurum, pro certo habeo.

Etsi concedendum est, nos curationem rationalem omnium organismi perturbationum, ultimum illud artis medicae finem nunquam assequi posse, cuius conditio est accuratissima cognitio non solum naturae perturbationis sed etiam modi effectus, quem remedia habent in aegrotantibus organismi partibus quamvis minimis,

tamen ille finis semper nobis propositus esse debet, quo, quoad ejus fieri potest, omnia studia conferamus; atque si illud, quod assequi nunquam possumus, semper et ubique persequimur, illae morborum curandorum rationes, quas practici remediorum multitudo gaudentes proponunt, ab ipsis summis laudibus affectas, ab aliis sua „specifica“ laudantibus aqua et igni interdictas, illae curandi rationes, quae inde a primordiis artis medicae magnum aegrotorum numerum vita vel valetudine privaverunt, magis magisque evanescent, atque ita praeclarissima nostra ars auctoritatem suam pedentim recuperabit.

Notum quoddam, etiamsi non novum lexicon therapeuticum\*) centum fere et viginti medicos totidemque remedia curandique rheumatismi articularis rationes exhibet quarum paucae illae tantummodo, quae curandis solis symptomatis inserviunt, jure retentae sunt.

Sydenhamii, Bouillaudii, Chomelii et Rochii sanguinis detractiones locales atque generales non nisi raro et modice adhibentur; adhibuit Bouillaud ab initio morbi, sententiae falsae innixus, flantes cordis crepitationes, quae re vera nil indicant nisi sanguinis altera-

---

\*) Medizinisch chirurgisch therapeutisches Wörterbuch oder Repertorium der vorzüglichsten Kuraten, die in dem Zeitraum von 1750—1838 angewendet und empfohlen sind. Herausgegeben durch einen Verein von Aerzten. Mit einem Vorwort von Professor Dr. Barez. Berlin 1840. Bd. III. Pag. 245.

tionem, endocarditidis signa esse. Itaque exstant sexcentae tractationis rationes natae ex perversis partim virorum doctorum sententiis partim experimentis cum praejudicio quodam institutis.

In paucis autem commemorandis me continebo atque eas potissimum exhibeo, quibus etiam hoc tempore utuntur medici et quae nuper a nonnullis commendatae sunt.

Tartarus stibiatus in primis a Laennecio, Chomelio, aliis, laudibus illatus atque jam a M. Solone usque ad ȝj-jj cotidie praescriptus est. Est autem propterea plurimum haud ita aptus, quod aegroti ulti continuo sudorem emittunt, quem Tartarus stib. auget sine ullo emolumento atque incerto effectu.

Colchicum jam Brown in Rheumatismis articulorum diuturnis non acutis commendavit atque Opio quidem conjunctum, quum id si non fit, Diarrhoeam efficiat. Sed Ill. Frerichs Colchico solo nonnunquam usus est ad accelerandas faeces et augendam diuresin, id quod successum optimum habebat.

Opio, ut medicamento symptomatico ubi accedunt insomnia et dolores abstineri non potest; sed proprium curandi mōrbum remedium non est habendum.

Parte ex alia et primum quidem a Bartelsio et Thomsonio ad dolores molliendos Chinini magnae doses (16 — 32 gr. Legroux) commendatae sunt. Sed haud ita raro hoc abusu symptomata intoxicationis eveniuntur atque etsi pulsus rarius fit atque ple-

nior, tamen Rheumatismus non extinguitur; quare etiam Chininum adhibere non licet.

His ipsis temporibus a medicis Anglicis atque Americanis Succus Citri recenter expressus laudatur; sed experimentis non probatus est.

A Voigtio denique Turicensi et Hassio Veratrinum praescribitur atque ille quidem granum unum in pulveribus X commendat. Efficit haec dosis nau-seam, diarrhoeam; diminutus pulsus frequentia; magis magisque autem aegroti levantur; est autem hoc remedium non dico commendandum sed dignum certe, in quod accuratius inquiratur.

Jam ignorantibus hujus morbi naturam atque causas concedendum nobis certe est, meliorem tractationem quam symptomaticam existere nullam, cujus generales regulae proponi non possunt; sed medici est in singulis casibus secundum indicationes remedia adhibere: ita dolores aciores Morphio s. Opio molliuntur; ubi morbus pertinax est, etiam cutis irritamenta dolorem derivantia adhiberi possunt atque, ceteris quidam expertis, usque ad moxam et ad ferrum candentem quali Lebert sub nomine „transcurrente Glühhitze“ utitur, progredi licet, quo doloribus, tumori atque articulorum immobilitate medeatur.

Aegrotus lecto affixus nimium evitet calorem, ne diaphoresis nimis augeatur, articuli dolentes adippe ingantur atque xylico circumdentur.

Atque ita medicus vere eruditus, cui non solum morbus sed etiam aegrotus ipse cordi est, uniuscu-

jusque affectionis rationem habebit, quae secundum proprietatem aegroti atque decursum morbi variae sunt, atque ita magis officio satisfaciet atque aegroto magis proderit, quam experimentis solum ad amplificandam scientiam institutis, in quibus sensus humanitatis saepissime neglegitur.

## V I T A.

Natus sum Joannes Conrad Ziegler, fidei evangelicae addictus, Posnaniae die XXII. mensis Octobris anni h. s. XXXVIII. patre Adalberto, matre Caecilia e gente Schmidt.

Novem annos natus auspiciis patris mei gymnasium adii Lesnense.

Testimonio deinde maturitatis academie instructus, tempore auctumnali anni h. s. LVIII. inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani, Ill. E. Mitscherlich decano receptus sum.

Per quadriennium Cel. Grimm directore, Exp. Elsholtz subdirectore disserentes audivi:

Cel. de Baerensprung de morbis syphiliticis, de dermatosibus, de febribus exanthematicis; Cel. Boehm de aciurgia, de morbis dentium, de ophthalmologia, de tenotomia; Ill. Braun de Botanice generali; Ill. Casper de medicina forensi; Ill. Dove de physice experimentali, de meteorologia; Ill. Dubois-Reymond de physiologia. Exp. Elsholtz de morbis simulatis ac dissimulatis, de tironum delectu; Ill. Frerichs de pathol. et ther. speciali; Cel. Gossauer de lingua gallica; Ill. Jüngken de chirurgia generali et speciali, de laesionibus cor-

poris humani; Cel. Lauer de semiotice, de therapia generali; Cel. Lieberkühn de osteologia, de syndesmologia; Exp. Jos. Meyer de pathologia et therapia speciali; Ill. C. G. Mitscherlich, de materia medica, de medicamentis excitantibus; Ill. E. Mitscherlich de chemia experimentali, de Zoochemia et phytochemia, de pharmacia; Ill. Peters de Zoologia; Cel. Preuss de historia Borussica; Ill Reichert de anatomia corporis humani, de organorum sensuum anatomia, de anatomia comparata, de generatione, de histologia; Ill. Rose de mineralogia, de crystallographia; Cel. Schoeller de tocologica; Ill. Schultz Schultzenstein de encyclopaedia medica de pathologia generali; Cel. Traube de auscultatione et percussione; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Ill. Virchow de anatomia pathologica, de pathologia generali; de vitiis congenitis, de tumoribus; Cel. Werder de logice, de psychologia.

In exercitatiōnibus practicis duces mihi fuerunt: Cel. Boehm in operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis; Ill. Braun in excursiōnibus botanicis; Ill. Casper in sectionibus forensibus instituendis; Ill. Peters in eognoscendis animalibus; Ill. Reichert in exercitationibus microscopico anatomicis; Ill. Reichert et Cel. Lieberkühn in arte cadaverum rite secandorum; Cel. Schoeller in operationibus obstetriciis; Cel. Traube in auscultatione et percussione; Cel. Troschel in fasciis lege artis applicandis; Ill. Casper et Exp. Wittstock in formulis medicis rite concinnandis.

Scholis cliniciis interfui medicis: Ill. Frerichs, Ill. Romberg, Cel. Traube; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. Langenbeck, ophthalmiatricis Ill. Jüngken, Cel. de Graefe, obstetriciis Cel. Schöller, morbis infantium Exp. Ebert, morborum cutis et syphiliticorum Cel. de Baerensprung.

Quibus viris omnibus, de me paeclare meritis, gratias quam maximas hoc loco ago, nec unquam non habebo.

Jam tentaminibus tam philosophico, quam medico neque minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut hac dissertatione cum adjectis thesibus palam defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

trunc tuberc. sanguin. extinctorum non ab ordinario alijs sanguis  
trunc tuberc. sanguin. extinctorum non ab ordinario alijs sanguis  
trunc tuberc. sanguin. extinctorum non ab ordinario alijs sanguis  
trunc tuberc. sanguin. extinctorum non ab ordinario alijs sanguis

## THESES.

---

### 1. Experientia docet:

Tuberculis aegrotantes nunquam fere cordis  
vitiis laborare; atqui scimus,

Tres partes ad minimum cordis vitiorum  
inveniri effectas rheumarthritide, ergo:

Rheumatismus articul. ac. in tuberculosi  
rarissime occurrit.

2. Temperamenta non nisi mixta inveniuntur.

3. Atrophia muscularum progressiva semper effecta  
est nervorum trophicorum affectione.

---

